



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. IX. Quæ obligatio Medicorum, Pharmacopœorum, & Chirurgorum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

D U B I U M IX.

Quæ obligatio Medicorum, Pharmacopœorum, & Chirurgorum?

Resp. Tenentur ii imprimis, quando tale officium petunt, vel suscipiunt, sub gravi obligacione, sufficientem habere scientiam, sive peritiam. *Navar. cap. 25. Anton. C. Lugo, d. 27 num. 1.* Deinde in curandis infirmis, servare sequentes regulas. 1. Ordinariè debent sequi opiniones medicorum securas, & tutas. Ratio est periculum & damnum proximi. Ita *Bon. Laym. Sanch. i. mor. cap. 9.* 2. Quando certum aliquod est pharmacum, quod nimis certo infirmis profuturum est, tenentur illud adhibere, omisso eo, de quo dubitatur: quia alias imprudenter proxima in periculo relinquenter. 3. Si non sint certa pharmaca, debent adhibere probabiliora, & tutiora; tum quia alioquin salutem proximi in discriben adducerent, tunc quia tenentur fungi officio, quantum possunt, cum minimo proximi periculo & damno. 4. Quando nulla est spes de salute infirmi, nec adest remedium, nisi dubium, de quo scilicet dubitatur, num profuturum, an nociturnum sit, possunt, immo debent illud adhibere. Ratio, quia sic infirmi negotium utiliter geritur, si mors sequatur, ipsis non imputabitur, cum alias spem vitae non habeat, *Laym. lib. 1. tr. 1. c. 5. Fill. n. 152. Bon. de pec. d. 2. q. 4. p.* 5. Unde resolues.

1. Medicus peccat, 1. Si absque sufficienti peritia gravem morbū curare tentet, 2. Si occurrente

gravi & insolito morbo, speciali studio operari impendat. 3. Si det pharmacum infirmo, quod probabilius creditur nocitum, quam profundum. 4. Si medicamenta inexplorata, explorandi gratia adhibeat, præsertim, quando de iis non est opinio probabilis, & habet medicamenta probabiliter utilia. 5. Si non bene perspecta morbi natura, temerè adhibeat remedia obvia, vel periculosa, præsertim cum discrimine vitæ, vel gravis lœsionis. 6. Si agnito ægroti periculo, oportune non adsit, aut necessariam curationem negligat, aut medicos alios adhiberi non permittat. 7. Si aliquid suadeat Dei honori, vel præcepto contrarium, v. gr. incantationem, pollutionem, superstitionem, &c. 8. Si facile, & sine necessitate, à jejunio absolvat, carnium esum permittat. 9. Si ægrotantem pauperem in periculo constitutum coatemnat. v. Bonac. l.c. Nav. cap. 15. Azer. I.p. l. 2.c. 17. Escob. l. 2. E. 3. cap. 9.

II. Pharmacopola peccat, 1. Si studis & ignarus munus exerceat. 2. Sine arte, vel diligentia, medicamenta conficiat. 3. Melle in potionibus profacharo utatur. 4. Si unum medicamentum pro alio (nisi tamen esset æquè bonum, & non majoris pretii) contra medici præscriptum, cum gravis damni periculo porrigit, v. Salas. dub 34. 5. Si medicamenta ad non patientem, vel ad foetum expellendum vendat. 6. Si pharmaca vendat inutilia, &c. vid. Escob. l.c. 1

III. Peccat Chirurgus, 1. Si sine scientia & peritia sufficienti, vulnera curare tentet, cum periculo erroris. 2. Si Medicum, quando gravitas vulne-

ris exigit, non consultat. 3. Si lucri amore, curatio-
nem protrahat. 4. Si mercedem justo majorem ex-
igat. 5. Si abortus causa venam aperiat, aliud vere
medium adhibeat. v. Escob. l.e.

DUBIUM X.

*Quae obligationes Mercatorum, Opifi-
cum, & caterorum facula-
rium?*

©

Resp. Eae patent ex dictis de septimo præcepto:
ex quibus resolues.

I. Mercator peccat, 1. Si venenum, vel alia pro-
hibita vendat, cum suspicione pravi usus. 2. Si pa-
ratus sit quocunque pretium, etiam injustum,
ab emptore accipere. 3. Rem carius, quam supre-
mo pretio, vendat ob dilatam solutionem. 4. Mer-
cium defectum gravem occultum non aperiat,
pondus & mensuram imminuat. 5. Si in emptorum
injuriam, monopolium injustum instituat, merces
omnes unius generis sibi comparet, immoderato
quaestu pro libitu vendendas. 6. Si merces ab eo,
qui non novit, emat pretio minore, vel cariore ve-
dat ignorantis. 7. Si merces veteres & inutiles no-
vis admisceat, & vendat eodem pretio utrasque.
8. Si justa tributa defraudet. 9. Si tempore debito,
cum possit, non solvat creditoribus cum gravi eo-
rum damno. 10. Si mercibus solvat, quod pecunia
debet, contra creditoris voluntatem. 11. Si die-
bus festis publicè emat, vel vendat contra consue-
tudinem permisam. 12. Si juret falso, se tanto pre-

X 3

tio